

secundum quod placuerit deo et vobis, et ego promitto vobis in fide mea, quod in omnibus et per omnia, sicut ibi continebitur, scribam, nichil addendo vel diminuendo. De aperta vero sententia cum archipresbitero quondam, nunc electo Albensi conveniatis. Quod deus novit, satis planum videbitur mihi et expediens Ianue comuni, sine gravamine autem magistri hospitalis. Quanta et qualia passus sim et patiar, intus et extra, die noctuque, foris labores intus dolores, solus omnipotens novit. Pericula autem mea, quanta sint mihi ex parte Alexandrie, deus solus scit. Ipsi enim sperant, petunt et volunt et credunt, Capriatam vel numquam debere muniri post annum, inmo debere destrui, vel quod remanebit liberrime eis medietas, et insuper magnam quantitatem pecunie se habituros pro pedagio retento, in quibus omnibus in fine anni se videbunt illusos, quod imputabunt mihi. Sed tamen, quantumcunque miser, confido de misericordia dei, qui a iuste agentibus scandala remove consuevit. Scripsistis vero mihi, quod Gavium cito venire. Quod gratulanti animo fecissem, nisi fuisset quoddam impedimentum, quod multum gratum erit vobis. In sagena enim pauperis huius piscatoris dominus aput Ast piscem unum, pro quo satis insudavit dominus, comprehendit, et hodie, domino adiuvante, ordinabo, in quo vivario religionis debeat poni, et sic ad vos velociter properabo. Sciatis tamen, quod socius doloris nostri, Albensis electus, venit pro danda sententia, et hodie aput Novas erit. Cum [eo] gravia verba et nimis aspera habui pro huiusmodi negociis. Ipse enim quasi stimulus quidam infixus in visceribus meis [est], qui me nimis acriter corrodit. Consulo, quod intersitis; ego autem apud Novas veniam. Si ibi eritis, in nomine Iesu Christi; sin autem, queram vos aput Gavium, ut misistis'.

Inseriert ist dieser Brief in folgende Urkunde:

6b) 1231. 17. Februar. 'Ianue in domo Fornariorum, in qua moratur d. Ugolinus Rubeus civitatis Ianue potestas, in presencia infrascriptorum testium, coram dominis Guidone Capitaneo et Torsellino, iudicibus et assessoribus dicte potestatis Ianue, frater Bartholomeus de Vicentia, ordinis fratrum predicatorum, confessus et protestatus est sub fide et ordine suo, se misisse litteras fratri Willielmo, ministro hospitalis S. Iohannis in Ianua, quarum tenor inferius adnotatus est, et quod, secundum quod in ipsis litteris continebatur, processerat et procederet, et non aliter. Tenor autem litterarum hic est'. Es folgt der Brief n. 6a. inseriert. 'Interfuerunt testes de dicta confessione et pro-